



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

6. An percussio Clerici Superioris Ecclesiastici, vel Regularis præter
malitiam contra Religionem contineat etiam malitiam impietatis? Ex part.
9. tract. 4. resolut. 28.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

regule: proinde iudicio boni viri, seu prudentis Iudicis, iudicanda est levis percussio ex circumstantiis personarum, locorum, temporum, & ex modo percutiendi, ac lædendi; Quapropter, si Clericus solemnis minister in Altari, vel sacrificando, etiam leviter percutiatur, non erit in iuria levis, quæ aliàs esset levis: similiter non erit levis, sed atrox, percussio facta Clerico etiam leviter, vel in Ecclesia, vel in platea, ex quo fuit notoria, Gloss. verb. *Mutilationem*, in cap. *Cum illorum*, de sentent. excomm. ubi Abbas num. 6.

2. Gravis verò percussio censetur illa, quæ non est levis, neque enormis, de qua iudicabit Episcopus, vel Abbas, quibus conceditur in certis casibus absolutio, & idèd cognoscere possunt, an eorum sit iurisdic-tio, argumento cap. *Super litteris*, de scriptis, & in l. *Si quis ex aliena*, ff. de iudiciis.

3. Enormis autem percussio illa dicitur, quæ per-venit ad occisionem, aut mutilationem membri, aut ad effossionem oculi, aut si quis Clericus ex læsione fiat inutilis ad præstandum munus suum, aut si vul-nus notabile inferatur, quod vt sanetur, eget reme-dio Chirurgiæ, aut aliorum medicinalium: non ta-men erit enormis magna effusio sanguinis solum è naribus, nec etiam ex vulnere modico. Item, dicitur enormis, si laicus Officialis autoritative percutiat Clericum. Aut si quis injiciat manum in Episcopum, vel Abbatem, vel etiam in Priorem, qui est Caput Monasterii, vel est in ejus loco. Item, erit enormis percussio, ratione loci, nempe, si vulneretur Cleri-cus in oculo, vel in facie. Item, ratione scandali, si subditus percutiat Superiorem, & inde nascatur scandalum; vel si Monachus percutiat Clericum sæ-cularem, & ex eo detur scandalum. Item, erit enor-mis ex irreverentia, nempe si in conspectu Prælati, aut Iudicis percutiatur Clericus, *Inst. i. de injuriis*, §. *Arox*. Similiter, si quis percutiatur in Ecclesia, Cœmeterio, Dormitorio, vel in platea, argumento cap. *Pro causa*, de sententia excomm. & cap. *Quisquis*, 17. q. 4. Eodem modo erit enormis ex facti notorie-tate, præsertim si percutiatur Clericus in magno ali-quo concursu, puta, in foro in magna festivitate, aut in nundinis, vel mercatu celebri. Vide Molinam tract. 5. disp. 57. Palaum tom. 6. disp. 3. punct. 23. §. 4. n. 2. & alios penes ipsos.

4. Nota tamen cum Fragofo tom. 2. lib. 1. disp. 2. §. 3. n. 53. probabiliter Navarrum in *Manual*. cap. 27. n. 92. existimare, ultra mediocritatem non esse dicen-dam semper percussionem enormem, quæ sit in locis publicis, aut in Ecclesia, aut Cœmeterio, vel Dormi-torio, aut in præsentia Iudicis, aut quæ sit in oculo, vel vultu, nisi quando percussio est gravis, vel in se notabilis, vel quando ex ea magnum oritur scanda-lum. Et Megala in 3. p. *Inst. Confess. lib. 4. cap. 1. q. 2. n. 11.* admittit, opinionem Navarri procedere, quando levis percussio non fuit in publico loco commissa; sed pos-tea factum effectum est notorium. Sed ego puto, sententiam Navarri sine limitatione non carere pro-babilitate, vt alibi docui.

RESOL. V.

An quando est dubium, an percussio sit levis, vel gravis iudicandum sit esse gravem? Ex part. 9. tractat. 4. Resol. 46.

Sup. hoc inf. §. 1. **A**ffirmative respondet Castrus Palaus tom. 6. in ref. 60. §. 1. disp. 3. punct. 23. §. 4. num. 2. Molina disp. 57. Sed ego, in num. 3. Sayrus de censur. lib. 3. cap. 28. à num. 8. Suarez disp. 22. sect. 1. num. 88. Navarrus cap. 27. num. 92.

Fragef. de Republic. Christi. tom. 2. lib. 1. disp. 2. §. 1. n. 53. & alii, asserentes, quod in dubio potius per-cussiones debent iudicari graves, & enormes, quam leves; ne detur occasio offendendi statum Eccle-siasticum. Et ita deciditur in Extravagant. Ioan-nis XXII.

2. Sed, his non obstantibus, contrarium tenet Pater Bordonus in *consil. Regular. tom. 1. resol. 38. nu-mero 45.* ubi sic ait: [In dubio autem percussio levis, an gravis, iudicare spectat ad Prælatum ha-bentem iurisdictionem absolvendi, & ad eum Præla-tum, qui quærit, an possit absolvere, & non est re-currendum ad Papam, vt docent Glossa, Innocentius, Abbas, & Panorm. in cap. *Cum illorum*, de sent. ex-comm. Sayrus lib. 3. cap. 28. num. 7. Grassius tom. 2. con-sil. 8. de sent. excomm. num. 3. Quod si iudicium fieri non possit, seu adhuc dubium remaneat, dicit Ioan. XXII. in dicta Extravag. *Perlevis*. Prælatum potius debere inclinare, percussionem fuisse gravem, quam le-tem, ne in iurantes de vicina absolutione consili, de facili in atroces prorumpant percussiones. Sed hoc non urget: quia ibi potius consilium est, quam præ-ceptum. Idcirco Prælatus iudicare illam potest le-vem, ne se privet sua iurisdictione: quia in dubio nemo tenetur se spoliare. Vnde dubitans, an aliquis Spoliatus sit reservatus, potest resolvere non esse reserva-tum, vt de veriori sententia docet Suarez tom. 5. de iur. sput. 4. sect. 6. num. 5. Sanchez lib. 1. cap. 10. n. 74. & ex dictis illis Floron. part. 1. de casib. reserv. cap. 5. n. 30. & San-chez refert præsentem casum de percussione iudican-da levi, ne Superior amittat suam iurisdictionem ab-solvendi.] Hucusque Bordonus. Verum, quia contra illum sententiam affirmativam tenent communiter Doctores, non audeo ab ipsis discedere. Et si Pater Bordonus, ubi supra, num. 39. nominatim contra me asserat, esse certam dictam Extravag. Ioan. XXII. de-bebat quidem in hoc casu affirmativam sententiam tenere, si Ioan. XXII. in dicta Extravag. hoc, vt supra diximus, declarasset. Sed ego puto, contra Bordonum, dictam Extravag. auctoritatem non habere: & ita ex Suarez, Filliucio, & aliis tenet Leone de cens. re-collect. 5. num. 332. ubi n. 356. nobiscum contra Bor-donum tenet, in dubio percussionem iudicandam esse gravem. Quod, præter Doctores citatos, tenet etiam Grassius in *consil. tom. 1. consil. 3. diff. 2. num. 9.* Marius Antoninus var. l. 3. resol. 11. num. 17. Naldus in *Summ. verb. Clericus*, n. 39.

RESOL. VI.

An percussio Clerici Superioris Ecclesiastici, vel Regu-laris præter malitiam contra Religionem, continet etiam malitiam impietatis? Ex part. 9. tractat. 4. Resol. 28.

§. 1. **H**unc casum ponit Pater Oviedo in part. 2. D. Thoma, tract. 6. contr. 5. punct. 3. §. 5. n. 47. & 48. ubi sic ait: [Extendit Bonacina malitiam im-pietatis ad iniurias commissas contra Clericum, cui non assentior: hæ enim tantum habent malitiam contra Religionem in manuum violenta impositione ratione Iuris positivi Ecclesiastici. Nam, vt bene expendit Lugo disp. 6. de Penitent. sect. 6. n. 310. si percussio Clerici minimorum Ordinum ex natura rei differt specie à percussione alius Christiani ho-minis, huius percussio differt etiam in specie à per-cussione hominis infidelis: nam longè magis digni-tate excellit fidelis infidelem, quam Clericus mino-rum Ordinum fidelem alium his Ordinibus non in-signitum.

2. Quod

Alibi in ref. quæ hic est infra 60. & in alia ejus primæ an-not.

2. Quod si Clericus esset Prælati, tunc illius percussio esset contra observantiam, quæ ut docet D. Thomas 2.2.9.102 cultum deferat Prælati, & omnibus superioribus, tanquam nostræ gubernationis authoribus; sicut pietas parentibus, tanquam nostræ vitæ principibus. Unde homicidium Principis malitiam specialem lethalem habet contra observantiam: idemque sentio de gravi contumelia, aut vulneratione: non autem de quacunque detractatione, etiam si lethalem malitiam contineat: bene enim componitur, detractationem, gravem malitiam contra iustitiam continere, & levem contra pietatem. Nec si rixa oriatur inter privatum hominem, & inferiorem alium Iudicem, causa nullo modo pertinente ad officium Iudicis, (veluti, si Prætor, ut persona privata, injuriam aliquam intulisset, v.g. filiam, aut uxorem civis ad turpia provocasset; vel similem injuriam patiens, vellet vindictam sumere autoritate Iudicis non interveniente, provocando ad singulare certamen inferentem injuriam, & in eo casu privatus homo Iudicem intericeret,) malitiam gravem impietatis agnoscerem. In eo enim casu non contemneretur authoritas Iudicis à Principe dimanans. Secus esset, si Iudex occideretur propter sententiam ab eo latam, vel alium actum Iudicis exequutum.

3. Facilius hæc impietatis malitia reperitur in iustis erga Superiores Ecclesiasticos, maxime Regulares: propter maiorem conjunctionem eum illis: quapropter omnem percussione Episcopi, & omnem contumeliam in eundem iactatam, quæ malitiam gravem in iustitiæ attingeret, gravi etiam malitia contra observantiam inficiendam esse existimo. In his enim Prælati bonum nomen, integritas honoris, & fana, & reverentia à subditis debita, valde necessaria est. Similiter omnem gravem percussione contra iustitiam Prælati regularis habentis iurisdictionem ordinariam, veluti Abbatis, Prioris, aut Rectoris, censeo gravem malitiam contrahere contra observantiam illi debitam: & idem iudicio de quacunque gravi contumelia contra iustitiam. Ratio est: quia Superiores religiosi non solum sunt Partes spirituales, sed etiam sunt loco Patrum carnalium in rebus temporalibus. Ob hanc rationem ait Agid, *disp. 2. de char. n. 152*, ut minimum melius factum Prælatum religiosum, si fratribus carnalibus præferat subditum religiosum, & valde probabile putat, posse illum præferre proprio carnali filio non solum in distributione bonorum Monasterii, in quibus in æquali necessitate etiam patri suum subditum debet præferre, sed etiam in distributione elemosynæ ab aliis impetratæ, cuius Superior alias habet liberam dispositionem. Et hæc omnia docet, ut semper solet, asserit Oviedo *ubi supra*, ex quibus patet responsio ad quæsitum propositum.

RESOL. VII.

An Clericus voluntarie percussit se ipsum incurrat in excommunicationem Canonis. Si quis suadente? Et an Cardinalis seipsum percussit, aut vulnerans, in supradictam excommunicationem incurrat? Et an Monialis, quæ potione, aut venæ scissione aborsum intendit, incurrat in prædictam excommunicationem? Ex part. 3. tract. 5. & Misc. 1. Refol. 82. alias 81.

§. 1. Affirmativam sententiam docent 30. Doctores, quos citat, & sequitur Carolus de Graffis de effectibus Clericatus effect. 9. n. 82. quibus ego addo Suarez de cens. disp. 22. sect. 1. n. 59. Molinam de iust. tom. 4. tract. 3. disp. 51. n. 4. Layman in Theol. moral. lib. 2. tract. 5. part. 2. c. 5. n. 5. Fillucium tom. 1. tract. 15. cap. 1. n. 33. Reginaldum tom. 1. lib. 1. c. 1. n. 209. Avilam de cens.

p. 2. c. 5. disp. 3. lib. 1. dub. 12. Belletrum in disquis. Cler. p. 1. tit. de favore Clericorum Canon. §. 1. n. 11. Fernandez in exam. Theol. moral. p. 2. c. 9. §. 20. n. 20. Sayrunda de censuris, lib. 2. c. 26. n. 10. Giphium de censuris, c. 3. n. 27. Gutierrez de iuram. confirmatorio, part. 1. c. 16. n. 64. Raynerium in Catalogo censurarum, §. 9. excom. 1. n. 6. Villalobos in sum. tom. 1. tract. 17. disp. 22. n. 10 & alios penes ipsos. Probatur hæc opinio; primò, quia Canon, si quis suadente, non tam in favorem personæ, quam in favorem ordinis Clericalis effectus est, ut patet ex cap. contingit, de sent. excomm. ergo Clericus, qui voluntarie percussit se ipsum, incurrit in excommunicationem, quia non nequit ad hoc consentire cum injuria fiat toti ordini Clericali. Secundò, probatur ex cans. non licet 23. q. 5. ubi habetur plus esse homicidam qui se occidit, quam qui occidit alium; ergo &c.

2. Sed his non obstantibus negativam sententiam novissimè putat esse probabiliorē Turrianus de cens. lib. 3. disp. 29. dub. 2. Primò, quia prædictus Canon, si quis suadente, manifestè loquitur de persona distincta à percussente Clericum. Secundò, quia oppositum nullo iure probatur, nam cap. contingit, loquitur de actione in iuriis, de qua loquitur Canon, si quis; & hic, ut dixi, de actione alterius personæ loquitur.

3. Neque est idoneum fundamentum in eo capite ad dicendum, talem censuram ligare Clericum se ipsum percussentem, aliud verò majoris momenti est, sed dico, quod licet dicatur magis homicida, qui se ipsum interficit, quam qui interficit alium; tamen, hoc nihil refert ad probandum in prædicto Canone, si quis suadente, sermonem esse etiam de ipso Clerico se percussente, & hoc multi putant probabile. Hæc omnia Turrianus, & ante illum ex neotericis docet etiam hanc sententiam doctus Barbosa in collectan. tom. 4. part. 2. decreti, causa 17. q. 4. n. 38. & 39. qui probat hanc sententiam ex ipsomet. contingit, & responderet ad argumentum, quod hoc privilegium sit necessarium Ordini Clericali, & quod non possit à Clerico renuntiari; lege illum, & non pigebit.

4. Sed quidquid sit de hac opinione, non gravabor tamen hæc obiter adnotare celebrem doctrinam Ludovici Molinae de iust. tom. 4. tract. 3. disp. 51. n. 4. qui ex Cajetano merito affirmat, Monialem, quæ potione aut venæ scissione aborsum intendit, non incurrere hanc excommunicationem, eo quod ea manus in jectio in se ipsam sui comparatione violenta, injuriola, ac contumeliosa non sit, quippe cum volenti & consentienti, violentia in injuriola, ac contumeliosa non sit; neque item injuriola est statui Ecclesiastico; ergo, &c.

5. Notandum est etiam hic obiter contra Duardum in Bull. Cen. q. 8. n. 8. & q. 22. n. 2. Cardinalem se ipsum percussentem, aut vulnerantem non incurrere in excommunicationem dictæ Bullæ, & ita probabiliter docet novissimè Bonacin. 2. 3. disp. 1. q. 12. punct. 3. n. 3.

Sup. hoc inf. in ref. 47. & 48. & in ref. 32. §. Sed ad medium.

Sup. hoc in tom. 9. tit. 7. ref. 82. per totam.

RESOL. VIII.

An Clericus percussit se ipsum incurrat in censuram Canonis?

Et quid, si ipse consentiat in suam percussione, an talis percussit, & ipse Clericus percussus pro excommunicationis habendi sine?

Et an Clerici, qui in luctu ex morte amicorum se alapis cadunt, capillosque evellunt, incidunt in excommunicationem Canonis? Ex part. 9. tract. 4. Refol. 8.

§. 1. Affirmativè respondent Doctores quos citat, & sequitur Megala in 3. part. Instit. Confess. lib. 4. c. 1. quest. 1. num. 5. Quia in cap. Si non licet. 23. quæst. 5. habetur plus esse homicidam, qui se occidit,

Sup. hoc in ref. præterita, & in alia ejus primæ annot.

4 quam